



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1607**

De Ivvene Qvodam Martyre.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

eii Andegauensis, de quo Vincentius lib. 13. c. 15.  
De Archiepiscopis & Episcopis, qui ad religionem  
& Monachos transferunt, scribit Arnoldus Wion.  
Lege apud Cæsarium lib. 2. c. 29. & 28.

DE IUVENE QVO-  
DAM MARTYRE.

**B**Eatus hic Martyr & testis Christi, florē-  
ti ætate, patriâ Aegyptius erat, in castro  
Tenestino, Christianis parentibus natus,  
sacroque fonte tinctus, & in inculpatâ  
Christianæ fidei disciplina eductus, sed per  
animi inconstantiam ab hoste generis hu-  
mani circumuentus, ad Amiranum Sara-  
cenorum principem se cōtulit, vbi eierato  
Christo, cinguloque rupto, crucem pedi-  
bus conculcavit, gladioque districto Inge-  
minavit lamentabilem illam vocem: Aga-  
renus, non Christianus sum iam ex hoc  
tempore. Et erat aliquo numero & honore  
aliquandiu apud Amiranum, & palatinos  
eius, nec quicquam de salute sua sollicitus.  
Sed parentes eius, vt filius in viam reduce-  
retur, assiduè numen precibus fatigabant,  
quorum Deus cum piam mentem, & con-  
stantes preces aspiceret, animum iuuenis  
immutavit. Venit ergo ad parentes, &: Ec-  
ce, inquit, Domini mei, dulcissimi que pa-  
rentes,

rentes, offusis menti tenebris feci, quod feci. Nunc verò & fuisse Christianus, & esse etiam atque etiam vobiscum cupio. Et parentes: nos, inquit, fili, quando omninò hoc à te factum est, magnam vim lacrymarum profudimus, nec à precibus vnquam destitimus, quoad agnosceres veritatem, & ad Deum reuerterere. Et nūc ergo debitas illius clementiæ grates persoluimus, quod infimas preces nostras non contemserit. Sed quemadmodum tūte nosti fili, verendū nobis est, ne, quasi te ab ea mente deduxerimus, nos tua causa in discrimen capitis veniamus. Sed si decresti ingens hoc abste commissum piaculum delere, numenque propitiare, & nos extra periculi aleam constituere, ac pro tua stirpe tota patronum apud Deum agere, abi ad Amiranum, & vti antea temerè fecisti, quod fecisti, ita rursus, quasi nobis inscis, te Christianū profiteri. Deus, fili, conatus tuos pro sua voluntate prosperabit. Instructus ergo filius consilio, votisque simul parentum, manu cingulum gestans, ad Agarenorum conuentum properavit, ibique spectante Amirano, & vniuerso cætu se accinxit, efformatamque ex ligno crucem complexus salutavit, clamavitq; quanta maxima potuit voce:

ce: *κύριε ἐλέησον.* Amiranus mox comprehensum interrogat; quid enim factum tibi? & iuuenis: Ex tartareis, inquit, ereptus tenebris Christo supplex factus, ad me redii, atque ut antea fui, Christianum me denuo profiteor. Idque ut tibi tuisque coram omnibus testatum facerem, Christumque confiterer, & vestram superstitionem damnarem, veni. His Amiranus, auditis, eum triduo in vinculis sine vlllo cibo potioneque custodiri mandauit. Dein eductum rursus ad tribunal stitit, & constantem cædi moderate præcepit, cæsumque in carcerem retrudi. Post triduum, reductum atque in sententia professioneque Christi perseverantem acerbè diuerberari iussit, denuoque custodia coerceri, ac post diem tertium adhuc palam in Christi prædicatione persistentem, taureis, à superiore corporis parte, turgentibus sanguine plagis, cecidit, pronunciatâque in illum capitis sententiâ, satellites in nauem imposuerunt, & quasi quaterna progressi stadia, post fusas ab eo ad Deum preces, caput ei præciderunt. Et truncus quidem corporis, an à mari fuerit eiectus, incertum est, veneranda cervix autem emersa, & à Christianis quibusdam cognita, veluti nobilis quidam thesaurus

est acceptus, qui ea de re apud Amiranum postulati, centum aureis sese caputque redemerunt, quibus exinde eius seruandi libera potestas facta, quod argentea condidere arcâ, meritoque honore & cultu celebrare. Vnde & hodie fragrans sudat oleum, omnisque generis curat morbos ad Domini nostri Iesu Christi gloriam, & religionis Catholicæ testatissimâ fidem, eorumque qui super ipsius exemplo prius offensi erant ac defecerant, recuperâdam salutem.

## ANNOTATIONES.

**D**E Saracenis seu Agarenis ab Agare ancilla Abrahami patriarchæ natâ, deq; eorum institutis, fusè præter alios Nicephorus lib. 7. cap. 14. Et noster Pererius ad XVI. CAP. GENES. Vide auctores qui scribunt de Orig. Turcarum. alij a Sarak Arabico deriuant Saracenos.

33. Decem

## ARSENIUS IN LATRO.

**S**anctus hic noster pater, & miraculorum effector Arsenius Cōstantinopolitanus erat patria, parentibus Christianis, & religiosus, copiosisque & primariis ortus. Accessit ad illustrissimi generis claritudinem, ac pietatis laudem singularem, etiam alia dignitas, qua ab Imperatore est auctus.

Magnus